

med.

1788.

Kem 3483 (1-14)

540

11

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
CONTINENS

QVASDAM QVAESTIONES

CIRCA

PHTHISIN PVLMONA-
LEM VLCEROSAM, AD-
CINCTA QVADAM HVJVS
MORBI HISTORIA.

QVAM

AVCTORITATE ET CONSENSV

GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM

PRO

GRADV DOCTORIS MEDICINAE

SOLEMNITER CONSEQVENDO

DIE XXXI. MAJI MDCCCLXXXVIII.

PUBLICE DEFENDET

A V C T O R ,

PETER FRIEDERICH ROSERVS

STETTINO - POMMERANVS.

HALAE,

TYPIS FRANCKIANIS.



**MANIBVS PATERNIS
SACRVM.**

A 2



MANIBVS EATIMVS

AGCAMS



§. I.

Erat olim non quidem contemnendus morborum numerus, de quibus sanandis antiqui medici, tam ob mancam status morbos cognitionem, quam ob medicaminum vel defectum vel inexpertam efficaciam paene desperabant. Quorum olim insanabilium morborum alteram partem medicina tot tantisque novis inventis ditata, compescit, alteram vero nostro demum die omnes illius conatus illudere videt. De quibusdam et nostro aevo non profligandis morbis adhuc sub judice lis est: utrum insanabilis eorum vis limitatae potius arti, an morbi naturae tribuenda sit? Non du-



Morbus hic calamitosus diversis ex fontibus originem dicit. Phthisis pulmonalis pituitosa in eum haud raro transit, tumque commutatio isthæc in acredine pituitae quaerenda est, quae arrosiones, instammationes et ulcera creat. Nodi et tophi jamjam in pulmonibus existentes rarius laudabilem discussionem admittunt, sed plerumque pessimam in suppurationem abeunt, eoque modo statum ulcerosum hujus organi producunt. Inflammatorii hujus visceris morbi, peripneumonici et pleuritici, interdum per suppurationem solvuntur et phthisin pulmonalem ulcerosam relinquunt. Acrimoniae et materiae purulentæ ad pulmones propulsæ ibique depositæ hunc morbum generare possunt. Haemoptysis frequens quoque interdum caussa phthiseos pulmonalis ulcerosæ deprehenditur. Pendet porro a Violentiis externis, ad pectus applicatis, praecipue si costarum fracturae pulmonum substantiam laeserint et assulae ei inhaerentes suppurationem excitarint.

§. 3.

Quaenam vero est ratio, ex qua phthisis ulcerosa saepissime mala et rarissime bona solutione conjuncta sit? Num illa forsan in fabrica pulmonum

num



num, aut in functione eorum, aut in conditione ulceris, aut denique in materia quadam nobis ignota quaerenda est?

§. 4.

Quod ad *fabricam* pulmonum attinet, explorando aliquas detegimus rationes, quae vi hujus morbi insanabili et praeprimis materiae purulenta propagationi faveant. Organi substantia molllis, spongiosa, cellularis est, glandulis, vasis et nonnullis nervis pertexta; glandulae aut conglomeratae aut conglobatae; vasa vel sanguifera, vel aërifera vel lymphatica vocantur.

§. 5.

Exulcerationibus ex supra enarratis fontibus hoc in viscere ortis, mox parum resistentiae, ob minorem cohaesionis gradum, partibus mollibus et spongiosis familiarem opponitur, quam ob causam ulcerarum amplificantur, sinus faciunt et maiorem adipiscuntur ambitum. Alia in structura cellulari sita ad hanc caussam accedit. Post rupturam ulcerum, si existant, pus permanat cellulas; et acredine sua, arrosiones inflammations et ex his ulcerarum nova vicinis in cellulis creat: eaque ratione





tione inflammatio et exulceratio totum per viscus propagantur.

In omni cellularum vicinitate innumerae sunt glandulae, quae aut conglomeratae aut conglobatae nominantur. Conglomeratarum orificia in cellularum cavitatem mucum effundunt, qui ob statum praeternaturale acrimonia indutus multifarias molestias e. g. Phthisis pituitosam generare valet: purulenta vero acrimonia infectus et corruptus, statum ulcerosum hujus organi secundabit. Glandulae inflammatione simul affectae suppurationem obeunt et loco muci pus effundunt. In glandulas conglobatas inflammatione quoque incurrens, earum exulcerationem format. His sub conditionibus humorum corruptio existit; morbus deterior redditur et fermentatio putrida in iis augetur. In statu naturali permultae harum glandularum tam exiles pulmonibus insunt, ut visum fere fugiant: multae vero tanta magnitudine sunt, ut adspectum concedant. Glandulae inflammatione irritatae intumescendo turbant partes vicinas. Compressione cellularum et respiratio laeditur et mucus in illis stagnat, qua ex causa visciditatem adeptus glandularum orificia oblitin

nit et in glandulis ipsis muci retentionem efficit.

Pressura, quam in vasa exercent glandulae, liberiorem circulationem inhibent, et obstrunctiones earumque sequelas efficiunt. Pus omnia devastans, vasculorum fauguiferorum perniciuos surculos adgreditur, edendoque eorum tunicas ita diminuit, ut sanguinis impetum non amplius ferant; sanguis vero ipse cum pure coniunctus profluat et expectoretur. Invadit etiam vasa majora, destruit tunicas, ruptura vero fere semper furentis puris furor lethali exitu finitur.

Rabiei puris vasa quoque aërifera succumbunt, quae primo ex tunica musculari et arcubus falcatis cartilagineis et ligamentosis constant, et denique in canales membranaceos transeunt. Quamvis hae partes cohaesione permagna gaudent, qua partes cartilagineae praeditae sunt, sensim tamen comeduntur et acrimoniae materie purulentæ resistere nequeunt.

§. 6.

Ex dictis patet, structurae pulmonum permultas inesse rationes, quae medelam status ulcerosi





rosi hujus visceris aut praegravent aut impossibilem reddant. Exigua cohaesio partium mollium facile a pure solvitur et corruptione ejus omnino destruitur. Glandularum exulceratio chronica est, earumque medela lento gressu procedit. Iam in regionibus, quae sola cute obtieguntur, earumque intumescentia, inflammatio atque exulceratio observari potest: ubi denique operationem concedunt, tamen diurnitatem curationis experimur, et si medicaminibus idoneis loco ipso applicatis ei obveniamus. Raro quidem in conglobatis, frequentius in conglomeratis exulceratio gignitur. Ita res se habet cum glandulis sensibus obviis: in aliis vero, quod haec earum vitia occultantur, nec operationes nec externorum remediorum usus conceduntur, curatio vel difficilior redditur vel plane negatur. Eadem conditio est in vasorum et cartilaginum exulceratione. Transitu materiae purulentae in massam humorum non solum febris hectica oritur, sed etiam corruptione humorum medela vel praegravatur vel omnino sperari non potest. Igitur haec duo momenta vim morbi insanabilem jam conficiunt.

§. 7.

§. 7.

Pulmonum *functio* in - et exspiratio est, quae dilatando et collabendo absolvuntur. Motus igitur perpetuus ad receptionem et emissionem aëris requiritur. Vlcera si in pulmonibus existunt, duabus ex rationibus, in sequentibus enarrandis, curatio gravior redditur. Vlceri sanando quies partis a) affectae opus est, omnis extensio, omnis supra modum flexio evitanda est, quia labiorum vulneris conjunctio ad ejus medelam necessaria erit. Prima et tenerrima partium consolidantium cohaesio motibus iterum disrumpitur, quo irritamento pus iterum accumulatur. Secundo omnia, quae stimulando agunt, vel ad locum affectum applicata vel ex humoribus ibi deposita caute ableganda atque amovenda sunt. Qua ex ratione in ulcere curando nostra intentio praecipua eo directa sit, ut aëri aditus non concedatur b), quia aër non solum qua stimulans agit, sed etiam puris naturam corrumpit. Igitur ulceribus inveteratis si medeamur, rarefactionem aëris ex igne

a) Benjamin Bell Abhandlung von den Geschwüren, u. s. w. aus dem englischen, Leipzig 1779. pag. 135.

b) Benjamin Bell, l c. pag. 129.



igne supposito petimus. Verum enimvero hoc in pulmonibus locum non habet, et motus et aëris aditus propter necessitatem, qua homo vivus tenetur, cessare non possunt. Motus hic perpetuus ex primo post partum momento ad ultimum usque vitae halitum continuatur. Inprimis hoc magni detrimenti est, si ulcera in bronchis eorumque bifurcationibus et aspera arteria quiescant, quod suppurationem pejorem provocat.

§. 8.

Ad tertiam (§. 3.) quaestionem me confero, eam nempe, num forsan ratio solutionis pessimae phthiseos in conditione ulceris querenda sit?

Ulceris, quorum medela difficultas est, vel propter formam vel propter materiam internam difficilius sanantur. Forma ulceris quae sanationem impedit, vel est sinuosa, vel callosa, vel fistulosa. Quod ad ulcus sinuosum attinet, primo apertura ejus angusta erit, quae retentionem puris, et reliqua phaenomena mala efficit. Secundo non absolute angustum esse oportet, sed quaedam curvationes eum ad locum tendere debent, in quo materia quiescit: talium curvationum per multae in-

ter

terdum in ulcere sinuoso inveniuntur. Tertio ca-
vum ulceri sinuoso magnum opus est, quod diver-
sum esse potest: aut naturale e. g. cavum thora-
cis, aut praeternaturale, quod materia ipsa for-
mavit. Hocce ulcus facile in pulmonibus oriri
potest, id quod eorum fabrica satis confirmat.

In quavis igitur solutione continui, aequae ac
in ulcere, margines videmus, qui locum circum-
dant, in quo apertura facta est. Quos margines,
si duri sint in ulcere, ulcus appellamus callosum.
Haec durities saepe ab inflammatione, quae in
scirrum transit, dependet, interdum vero sponte
atque aliis ex caussis oritur. Ex materia puru-
lenta quoque aut ex partibus solidis e. g. fibris
muscularibus hi margines ortum trahere possunt.
In pulmone quoque inflammatio et ex ea producta
materia purulenta, uti etiam fibrae musculares
asperae arteriae et bronchiorum ad ulcus callosum
formandum conferunt.

Vlcus fistulosum illud tum audit, quum con-
junctio duarum antecedentium conditionum adeat.
Haec ulcerum species in partibus istis praecipue
haeret, quibus permultum telæ cellulosa est.

Ho.



Horum ulcerum medela operatione absolvitur. Modum agendi hic enarrare locus non est. Tales vero operationes in ulceribus pulmonalibus fieri non possunt, quia fere nullas laesiones sine vita laesione pulmo patitur.

§. 9.

Praeterea partes cartilagineae (§. 5.) pulmonibus sunt, quae asperam arteriam et bronchos formant. Hasce partes si materia ulcerosa adgreditur, ea phthisium species, quae trachealis vocatur, dignit. Vim ulcerum insanabilem, quae in partibus cartilagineis quiescunt, qui de rebus medicis scripserunt, satis explicarunt. Praegravatae sanationis caussa in partibus ipsis posita est. Si solida a materia purulenta destrueta sunt, ad eorum reproductionem necesse est, ut iis in partibus id genus lymphae adsit, quo ad puris boni generationem opus est. Partibus autem cartilagineis hoc deest: quapropter medela fere nulla adhiberi poterit. In phthisi tracheali momenta supra enarrata occurunt, motus scilicet et aditus aeris. Quibus ex caussis concurrentibus huic speciei phthiseos omnino non medebimur.

§. 10.

Sunt vero observationes, quae de vi infan-
ibili status ulcerosi enarrata argumenta rescindunt.
Viri et veritatis amore et diligentia excellentes,
nonnulla felicis curationis adhibitae exempla edi-
derunt, quibus vulnera tam iactu quam glande *)
producta pulmonum substantiam intrarunt immo
perforarunt. Aegroti pus sanguine mixtum
ejecerunt, argumento, laesione et suppura-
tionem substantiae adfuisse. Tria exempla ego
non nefcio, quibus certamine singulari iactus sub-
stantiam pulmonum invaserant, quod non solum
aer ex vulnere prodiens, sed etiam sputa sanguineo-
purulenta confirmarunt. Verumtamen vulnerati
in pristinum sanitatis statum redacti sunt.

Si fabrica et functio sicuti etiam forma ulce-
ris hujus organi, culpa vis insanabilis ejus exulce-
rationis essent, certe nullo in casu, quo status
ulcerosus pulmonum adfuit, medela adhiberi po-
tuif-

*) Hugo Ravarons Abhandlung von Schuss- und Stich-
wunden, u. s. w. aus der französischen Handschrift
des Verfassers übersetzt. Straßburg 1767. 3 Theile.



tuisset. Ratio igitur in materia ulcus pulmonale producente quaerenda est.

§. II.

Vleus vel simplex vel compositum aut sine materia ortum aut a materia productum est. De ulceribus simplicibus hoc loco mihi non est sermo. Dependent illa a caussis externis et violentis. Diversitas *materiarum* ulcus pulmonale producentium perplures species phthiseos pulmonalis peperit. Phthisin habemus ex materia exanthematica, rheumatica, arthritica, scorbutica ferophulosa, syphilitica. Ad omnis ulceris, a caussa interna medelam, materiae cognitio postulatur, quam et ex morbis antecedentibus et ex signis praesentibus hauriamus. Materiem delere possumus, si medicamenta contra eam nobis sunt, et si natura ejus innotescat. Igitur quoque ulcera ex ea producta medicaminibus idoneis curari valent. Quare ergo ulcus pulmonale quavis ex materia productum, remediis non cederet?

§. 12.

Materia solummodo ferophulosa si phthisin creat, et ob mancam ejus naturae cognitionem et

et ob defectum remediorum, insanabilis dicitur.
Antiscrophulosa quae nobis sunt medicamenta, in scrophulis externis et abdominalibus interdum efficacia sunt: pulmonum labem vel omnino non sanant, imo perdunt. Vir Ill. atque Experientissimus Selle quidem de ea judicat *), eam arthriticae et venereae materiae productum esse: quapropter mercurialia **) quoque prodecent. V. d. Hecker ***) adeo morbum scrophulosum et syphiliticum unum eundemque esse contendit. Cui quidem sententiae momentum observationes faciant!

*) Med. Clinica 1786. pag. 242.

**) I. c p. 244.

***) Dissertatio qua morbum syphiliticum et scrophulosum unum eundemque esse morbum evincere conatur. Halae 1787.


Morbi Historia.

Vir quidam triginta et sex annos natus, artis capillos concinnandi peritus, fibrae caeterum laxae, constitutionisque humidae, ad vigesimum octavum aetatis annum satis felici sanitate fruebatur. Tunc temporis ex vehementiori corporis motu, saltatione excitato, quem refrigeratio subita sequuta erat, asthma accepit. Quod perpetua eaque sonora respiratione, tussiculaque parum molesta cum excretione materiae mucosae coniuncta comitabatur. Remedia omnia, quae ad hujus morbi debellationem ipse adhibuit, praeter molestiarum mitigationem ad radicalem asthmatis medelam nil valebant. Asthma semper idem perseverabat, neque augmentabatur neque minuebatur; nec anni tempestates coelique mutationes ullam illius exacerbationem efficiebant. Ceterum laudabili fatis et constanti sanitate gaudebat, dummodo tempus, quod sanguinis missione constitutum erat, non negligeret; quod vero si fieret, hæmoptysi affligebatur, quam dolores pungentes in pectori præsagiebant. Sanguinis excretione levissimae tussi juncta erat et statim cessabat, dum vena incidebatur. Tempus verna-

le



le et autumnale tuffim paululum exasperabant, quae
vero hausto purgante et post specierum pectorali-
um usum, in pristinum reducebatur statum.

Trigesimo sexto aetatis anno gonorrhœa in-
fiebatur virulenta, cuius remedia, quinque die-
bus jam praeterlapsis, tandem a me petiit. Tunc
temporis jam frequens et copiosa de pene stilla-
bat materia ex albo flavescens, et aegrotus noster
sub mistione vehementissimis excruciatibus dolo-
ribus. Vitæ ejus genus et appetitus deficiens,
cruditatum primarum viarum suspicionem affere-
bant, quae purgante ex rheo et sale anglicano
amovebantur. Sequenti tempore leniora diureti-
ca et copiosa mucilaginosa potulenta commendata
sunt. Vitæ regimen praescriptum solummodo ra-
tione cibi et potus aeger observabat. Quietè enim
corporis, quam volebam, carebat; quia opifici-
um quo alebatur, a prima luce ad meridiem us-
que perpetuum et vehementiorem corporis mo-
tum requirebat. Versus noctem unum granum
opii, ad maxime dolorificas penis erectiones com-
pescendas dedi. Quantitas materiae effluentis
semper eadem persistebat, et colore deprava-
to viridi, striis sanguineis intermixto emanabat,



bat, odorem nauseosum secum ferens. Causa hujus exacerbationis erat vehementior corporis exaestuatio per motum excitata, quem quidem evitandum frustra monebam. Paulo post, decimo quarto quidem morbi die languidus me adiit et de intumescentia glandularum inguinalium et sinistrae testis, cum ischuria querebatur; nihilominus suis negotiis vacare intermiserat. Effluxus ex urethra rarus erat et sequenti die omnino cessabat, ita ut sub glandis pressura paulum viridis materiae in conspectum prodiret. Lacinantes sub iunctione dolores plane evanescebant.

Pulsus durus et inflammatio testiculi celerissime increscabant, venaeque sectionem indicabant in pede statim instituendam. Contra bubones infractionem unguenti neapolitani commendabam. Dolores et strictruram in inflammatu teste emollientis et antispasmodici cataplasmatis ope mitigare, et tensionem ex pondere illius, applicato suspensorio avertere studebam. Ischuria decoctis mucilaginosis et leniter resolventibus, enematisque medebar. Praecipuum felicis medelae momentum mihi videbatur, si materiae gonorrhicae effluxus revocaretur. Quam ob caussam opium

opium denuō adhibui, et quidem ea dosi, ut quovis quadrihorio grana duo acciperet. Eumdem ad finem cereolos adhiberi jussi. Intra biduum omnis tumor inflammatorius testis et glandularum inguinalium evanuerat, atque ischuria fugata erat, quamvis post enarratorum medicaminum usum et super additum cataplasma emolliens in perinaeo, nullus ex urethra effluxus se ostenderet. Verebar igitur, ne ex hac subita venereo- rum symptomatum evanescentia, materia syphilitica in massam humorum retrogressa esset. Interea tamen copiosa eaque turbida urina mingebatur, sub qua paucas post horas crusta albido-viridis in fundo vasis se praecipitabat. Ex hoc urinae sedimento parva criseos spes affulgebat. Enimvero urina limpida evadebat, ideoque diureticorum ope hoc naturae conamen suffulcire conabar. Initio quidem haec medicamenta urinam turbidam cum hypostasi mucosa efficiebant, sed paulo post inter ipsum eorum usum iterum ex urina hoc sedimentum evanescebat. Postea lenis per universum corpus transpiratio erupit, quae vero post biduum sponte cessabat. Quo facto aegrum, decoctum ex ligno guajaci et radice graminis haurire jussi, et debilitatis ratione habita, juscule ex carne vi-

tulina





tulina et gallinacea concessi. Aegrotus post hæc per aliquot dies bene se habens in cubiculo ambulabat, atque uterque et appetitus et somnus naturales erant, facies vero subinflata oculique splendore languido.

Die vigesimo tertio aegrotum lesto decumbentem et febre magnis cum congestionibus versus caput juncta laborantem inveniebam. Haec febris hora nona pomeridiana antecedentis diei inceperat, leviori horripilatione, per praeterlapsam noctem uno tenore prægressa. Ipse in incremento deliraverat: delirium quidem non vehementis, ille tamen parum compos mentis fuerat. Vnum hoc ex reminiscentia dictitabat: se valde spestra timuisse, cuius vero timoris vanitatem statu fano ratio agnoscebat. Rubor faciei, praeci-
pue genarum, pulsus parvus et frequens per diem aestu moderato perseverabant; vespertino tempore febris exacerbans, et delirium vehementius in noctem progrediebantur: ast versus diem aestus et delirium remittebant. Febris remissionem, pulsus mollis et minus frequens cutisque humida indicabant. Aestus ut imminueretur, nitri aliquid triplici dosi salis mirabilis Glauberi in aqua hor-
dei



dei solvi et hauriri curabam, eoque ad excretio-
 nem alvi, per triginta et sex horas jam deficien-
 tem, revocandam utebar. Adsecutus, quod optaram,
 tanta dosi, jam dicta adhibui, quanta excretioni alvi
 liberiori opus erat. Hora tertia postmeridiana ante
 excretionem alvinam aestus insigniter descendens
 in vola manus sentiri poterat. Pulsus tardior erat,
 et si inter octoginta et nonaginta versaretur; sta-
 tum sanum sexaginta et quinque indicarunt. Lin-
 gua ante alvi excretionem sicca, albis striis ob-
 ducta, post excretionem humida et pura erat. Sta-
 tus gastrici symptomata nunc plane deficiebant,
 compressio quidem in pectore aderat, quae vero
 in remissione perinagna febris quoque cessabat;
 Hora nona vespertina febris exacerbatio redibat;
 diei sequentis hora decima antemeridiana febris
 adhuc praefens; facies, in primis gena sinistra val-
 de rubra, cutis sicca, compressio in pectore vehe-
 mentior erat, ita ut respiratio impediretur. So-
 lutionis nitri et salis mirabilis Glauberi potum ne-
 glexerat, sed aquae frigidae aliquid potaverat. Lo-
 co salis mirabilis cremorem tartari adhibebam et
 statim his in aqua hordei solutis ut inciperet pree-
 cepi; quo facto versus meridiem optimam remissio-
 nem sensit. Compressionem ex flatibus oriri crede-

bam.



bam, cum vespere antecedenti aeger pomum comedisset. Ceterum ab iis in statu fano saepe excruciatus jam antea hanc ob caussam me adierat. Quo commotus infusum florum chamomillae prescripsi, et quum nullus sequeretur effectus, vespertino tempore enema ex floribus Chamomillae applicabatur.

Diei vigesimi septimi hora octava matutina febris remissionem videbam: initium exacerbationis horam post nonam vespertinam fuerat. Cutis uti reliquis diebus parum humida, compressio vehementissima in pectore, mala sinistra majori rubedine supertincta, excretio alvina naturalis erat. Statim adhibebam potionem quamdam ex extracto taraxaci, oxymelle simplici et sale ammoniaco, quae in aqua florum chamomillae solvi curaveram.

Morbum, praeprimis dolores pectoris crescere, et latere dextro jacere molestum sibi esse, die vigesimo nono primum conqueri incipiebat. Aucta rubedo genae sinistrae, laesae circulationis in pectore suspicionem excitabat, quam vomica ex oriente productam censui. Aegrotum itaque methodo antiphlogistica tractans, eum de coctum

coctum hordei cum nitro et cremore tartari crebrius haurire jussi, clysmatibus, pediluviis et potionē supra dicta additis. Qua methodo instituta remissiones febris longiores fiebant, tussicula vero absque expectoratione accedebat.

Quod admirationem maxime excitavit, accidit die trigesimo primo: pulsus nempe manus dextrae a pulsu sinistrae omnino differebat; ille modice frequens et magnus, hic contra parvus, spasmoidicus et frequentissimus: quod quidem optime testabatur, me de dolore comprimenti reōte judicasse: grave scilicet existere in pulmonibus vitium, tristissimum exitum minans. Eodem die purgans antiphlogisticum, levissimam quidem excretionem alvinam, nullam vero prorsus mitigationem efficiens, accepit. In potum ordinarium lac caprinum cum decocto hordei praescripsi, nitrumque in forma pulveris adhibens, jusecula carnis vitulinæ et gallinaceæ concedebam, cum morbus antecedens vires nimium consumisset, quae ad vindendum hunc morbum maximopere conducebant. Tussis quotidie crescebat, atque aegrotus ab ea interdum vehementissime vexabatur. Pectoris excretionis quae primum mucus albus et tenuis erat, sensim

con-





consistentior evasit. Febris acutam naturam mutans, transit in lentam. Die trigesimo sexto saepe horrores et frigus tergum perreptans sentiebat. Vesicatorium statim in pectus sinistrum, locum scilicet affectum applicabatur. Dolor praecipuus in regione costarum spuriarum a sterno ad columnam spinalem usque grassabatur: augebatur tussis, et excretio pectoris flavescebat, accedente voeis raucedine.

Die trigesimo octavo aeger fluctuationem quamdam sinistro in pectore accusabat, ita ut incipiente tussi id paullatim ascenderet, et post ejus remissionem iterum descenderet. Hoc phaenomenon a materia purulenta produci credidi, id quod excretio hodierna satis quoque confirmabat. Expectoratio vero difficulter procedebat, ad quam promovendam lichenis islandici unciam unam librum cum duabus lactis coqui et per diem absumi jussi.

Die quadragesimo inter tussiendum aeger crepitum in pectore sentiebat, quo facto excretio per magna purulenta sequebatur, quae nisu levissimo repeti poterat. Odor ejus tam purulentus erat,

ut

ut valetudinarii fenestrae saepissime aperirentur, quo circumstantes foetorem ferrent. Aeger ipse os eluebat, cum saporem corrupto-purulentum pati non posset.

Motus febries et mox febris ipsa adveniebat, quae per diem duos formabat paroxysmos. Primus eorum non diu post ciborum assumptionem tempore meridiano levi frigore incipiens, versus horam sextam aestu non graviori cessabat. Paroxysmus alter hora nona accedens, in noctem increvit et sudore finiebatur. Vesicatorium bonam et frequentem suppurationem produxit. Aeger leni et brevi quidem opprimebatur somno, parcam vero inde ductam recreationem excretio gravis nocturna cutanea tollebat. Lichene islandico semper utebatur, eo in forma pultis loco cibi vessens. Hujus medicamenti effectus in coniunctione cum vesicatorio praecclare atque mirifice se praestitit. Expectoratio liberrima siebat, color sicuti odor puris hebdomadum duarum spatio optime mutabatur, et aeger ita nutritus est, ut vires ejus non solum morbi aggressui aequales essent, sed potius eum superarent. Febris phthisica sudoresque colliquativi deprimebantur et tu-



tussis diminutionem cepit. Aeger tandem adeo re-
convalescebat, ut septima hebdomade coelo sereno
valetudinarium relinquens, amicos adiret.

Reconvalescentem quotidie adire, superflu-
um esse credebam; caeterum etiam medicamentis
non carebat: quapropter per duos fere dies ejus
visitationem negligere non dubitabam. Tertio
mane uxor ejus ad eum me revocabat.

Facies ejus intumescens, diversis locis macu-
lis rubris conspersa, pulsus frequens et calor auc-
tus erat. Caussa hosce effectus producens facta
indagatione diligentissima, reperiri non poterat:
aegrum pridie fero vespere domum rediisse, et chi-
rurgum ante tres dies vesicatorium ultimo curasse,
solum audiebam. Respiratio liberrima, tussis par-
ca, excretio pectoris subflava erat. Re tam in-
certa, motus et effectus naturae in insidiis obser-
vare equidem studebam, et in medicamentorum usu
aegrotus pergebat. Maculae die secundo elatae,
efflorescentias cutaneas, rubras, laridas rotundas,
trium aut quatuor linearum diametrum habentes,
formabant; plurimae earum in osse frontis, non-
nullae in genis et duae permagnaee suturae coro-
nali

nali infedebant. Nullum erat dubium, quin hae efflorescentiae essent syphiliticae, cuius materiae natura mercurii usum desiderabat: morbus autem pectoris hujus medicamenti contraindicans erat. Phthisis vero jamjam statum decrementi petens, me ab usu mercurii non plane deterrebat; praeterea cogitabam, efflorescentias syphiliticas symptoma urgens non esse, ita ut mercurii permultum mox adhiberetur. Huc accedebat opinio: forsan phthisin a materia venerea aut productam aut exacerbatam fuisse. Quem ad finem pillulas Kirklandi *) maxime idoneas eligebam, quarum vespertino tempore duas et matutino unam deglutiebat. Lichen islandicus et lac caprinum, huic medicamento interponebantur. Tertio die testiculus sinister et glandulae inguinales iterum intumescebant, efflorescentiae vero desquamabant. Cataplasmatibus ad emolliendum testiculum et infractione unguenti neapolitani ad bubones solvendos utebar. Sine signis diu praefagientibus aeger salivationem petebat, cum dimidiad pillularum partem nondum consumisset, et unguenti circiter drachmam dimidiad infricuisse.

Meum

*) v. *The London medical Journal* for 1786. Vol. 7.
pag. I.



Meum quidem erat consilium, tantam mercurii copiam cum humoribus conjugere, quanta ad signa salivationem praesagientia producenda requireretur. Vitium pectoris ipsum, salivationem impediendam esse, suadebat. Aegroti vero naturam subito in eam inclinabat, ut primo die et nocte libram unam salivando ejiceret. His adeo celeriter succendentibus reliquae morbi primariai molestiae diminuebantur: quare ejus mitigationem nequaquam curabam. Salivatione ad quintum diem protracta omnes pectoris molestiae evanescabant: tussis desinebat, et excretio pectoris purulenta in mucosam verfa, die octavo consuetae excretionis naturam adipisciebatur. Aeger quovis in latere et optimè respirans somnum capiebat. Sputi quantitas in medio salivationis per diem et noctem libræ tres erant; sensim vero diminuebatur, ejusque tandem finis reconvalescentiam effecit. Respiratio ejus libera, quæ ante octo annos fuerat, evadebat. Salivatio per tres hebdomades durabat, duratio vero primi et secundi morbi undecim hebdomades complectebatur. Lichene islandico per exiguum tempus usus est, viresque ad sanitatem redactae sunt, et nunc optima valetudine fruitur.

Magni



Magni momenti gravem hunc casum habeo, qui fam aegroto quam mihi felicem evenit attulit. Phthiseos caussa ambigua esse videbatur: etenim vel per resolventia, morbo syphilitico nimia quantitate adhibita, obstru^ctio jam dudum in pectori latens resolutionem et suppurationem petuit, aut materia venerea per metastasim eam produxit. Omnis si morbi historiam perpendimus, in ancipitem ja*c*tabimur opinionem. Cessante effluxu virulento ex hasta virili, nil aliud evacuationem materiae morbificae testabatur, nisi copiosae urinae turbidae excretio et crusta in fundo vasis se formans, sicuti etiam transpiratio duos per dies durans. Non paulo post febris acuta, cum doloribus pectoris comprimentibus orta est, deinde tussicula, atque postea excretio ab initio mucosa purulenta: in fine vero pus optimum expectorabatur. Hucusque nullum materiae syphiliticae vestigium reperiri potuerat. Sanato vero vesicatorio efflorescentiae cutanearae testabantur, hujus materiae reliquias adhuc in massa humorum haesisse. Cum itaque omnes molestiae absque restituta gonorrhoea evanescerent et aegrotus de doloribus pectoris conqueretur, mox suspicatus sum, metastasim materiae syphiliticae ad pulmones

C

ejus





eius, ob eorum debilitatem factam esse: an erraverim, decidat morbi exitus. Phthisis ad praescriptum Hoffmanni tractavi, vestitorium autem et mercurius corpori adhuc inhaerens, efficacissime meum sustentarunt conainen. Naturae hoc ulcere artificali ad materiam nocivam evacuandam via patebat, qua denegata in itinere progrediens efflorescentias in osse frontis et locis vicinis formabat. Quas revera syphiliticas fuisse et locus et species uti etiam fuga earum post mercurii usum indicabant. Aetiva natura tanta benignitate praedita erat, ut hanc materiam in testiculum et glandulas inguinales transponeret. Tandem in salivationem ita subito flectebatur, ut morbus ille gravis tolleretur. Salivatio quidem in corpore, nullis morbis pectoris antecedentibus afflito, propter congestionem permagnam versus pulmones phthisis pituitosam generare valet: hoc vero in casu derivationem materiae nocivae et medelam radicalem efficiebat.

Rem quidem non novam enarravi, materiam scilicet venereum morbos pectoris producere posse. Viri Cl. et Ill. Hoffmann *), Job. Steph. Hausmann

*) Medic. rat. system. Tom. IV. P. V. p. 180.

mann **), J. F. Schwarze ***) et alii de eo locuti sunt. Tamen non inutile esse duxi, huncce causum elaborare et rei publicae eruditorum tradere, quem, benevolo atque indulgenti animo fuscipiat, velim.

**) Diff. de morbis venereis larvatis. Göttingæ 1778.
p. 36.

***) Diff. Observationes quasdam medicas continens.
Göttingæ 1787. p. 20.

15
liberat et omnia in se habet. (11) quem
eo successus sicut hinc dicitur non secundum existentiam
sicut in rationibus et ratione sicut in circundatione in
litteris omnes singulis et ceteris elementis quosque. (12)

Item secundum etiam dicitur eidem ab illis. (13)

Excedit existentia rationis et ratione illis. (14)

WOB
PIGA

2
H

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
CONTINENS
QVASDAM QVAESTIONES

CIRCA

PHTHISIN PVLMONA-
LEM VLCEROSAM, AD-
CINCTA QVADAM HVJVS
MORBI HISTORIA.

QVAM
AVCTORITATE ET CONSENSV
GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM
PRO
GRADV DOCTORIS MEDICINAE
SOLEMNITER CONSEQVENDO
DIE XXXI. MAJI MDCCCLXXXVIII.
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR,
PETER FRIEDERICH ROSERV
STETTINO - POMMERANVS.

HALAE,
TYPIS FRANCKIANIS.

